



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Prædecessorum suorum cogitata magnificis verbis elocutus est
Innocentius III. Legatorum utilitatem ac necessitatem commendans.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Alexandri II. apud Thomam Spalatensem. Item ex Gregorio septimo.

VIII. Fuit illud unum ex arcanis retinenda dominationis, ea approbare que à Legatis acta erant. Maxima porro & amplissima potestate ornabantur. Facile Legatis erat quemlibet sue legationis Episcopum opprimere.

IX. Ivo Carnotensis docet tamen fuisse Legatorum auctoritatem ut ad reddendam factorum suorum rationem cogi non possent, quantumvis iniqua sententia esset.

X. Iudicia Legatorum ac delegatorum apostolica sedis debere esse sacrosancta declaravit Innocentius III. in causa Episcopi Pictaviensis.

RESERATO retinendæ dominationis arcano per legationes, perpetuos in provinciis Legatos ea de causa institutos esse censuerunt Romani Pontifices. Eam illis mentem fuisse docet Honorij III. epistola ad Rogerium Archiepiscopum Pisani, in qua verbis minimè ambiguis scribit Corsicam deseruisse à subiectione & obedientia sedis apostolicæ ob desuetudinem Legatorum. *Corsicana vero*, inquit, *tam prolixitate spatiorum quam negligentia pastorum, dominorum insolentia, & desuetudine Legatorum sedis apostolicæ, à subiectione & obedientia Romane Ecclesiæ deseruerat.* Scilicet ea prima & potior cura Legatis erat ut populos imbuerent reverentia Pontificum Romanorum, commendata successione Apostolorum & loci auctoritate, intentatis porro pœnis adversus eos qui majestatem Romanæ sedis minus colere viderentur. Et suetus jam Legatis Christianus orbis nihil aliud malebat, imbutus nimirum ea persuasione, curam universalis Ecclesiæ ita pertinere ad Summum Pontificem ut cuncta Ecclesiarum negotia ab illo seu à Legatis ejus judicanda essent.

II. Hanc disciplinam in animos hominum immittere curarunt Pontifices variis temporibus. Diserta in eam rem sunt Alexandri secundi verba ex epistola generali de legatione Petri Damiani Episcopi Ostiensis, quæ infra describuntur in capite trigesimo libri sexti. Is ergo jus mittendorum in provincias Legatorum ex eo capite arcessit, ut olim factum à Vigilio, quod cura universalis Ecclesiæ eum cogat mittere ad vicem suam personas quæ visitent Ecclesias, cum id efficere per se ipse non possit. Altiùs hoc jus repetit Gregorius septimus, qui Legatum in Gallias mittens Amatam Episcopum Oloronensem, ait se id facere juxta veterem consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ ab ipsius sue foundationis primordiis, ut ipse ait, ad omnes partes quæ Christianæ religionis titulo prænotantur suos Legatos misit, quatinus ea que gubernator & rector ejusdem Romane Ecclesiæ per suam presentiam expedire non prævalet, vice sua Legatis con-

Tom. II.

cessa, monita salutis ac morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis Ecclesiis nuntiaret. Ex ea persuasione factum ut cuncta ecclesiastica negotia Legatis committerentur, specie extirpandi vitia & inferendi virtutes. Gregorius itaque post magnificam illam præfationem hæc addit: *Proinde horum presentium portitorem, venerabilem confratrem nostrum A. Episcopum, ad partes vestras dirigimus; ut que ibi vitia eradicanda sunt à fundamento evulsis, plantaria virtutum Deo auctore sollerti vigilantia plantare procuret.*

III. Verùm licet ista religiosissimis verbis scriberent Pontifices, non ita tamen semper accipiebantur in provinciis, eaque species pietatis aliquando passa est contradictionem. Miserat idem Gregorius Legatos in Germaniam anno MLXXXIV. Hubertum Episcopum Prænestinensem & Giraldum Oltientem, ut vice ejus & auctoritate fulti, convocato Concilio generali, quæ corrigenda essent corrigerent, quæ religioni addenda essent adderent. Intercessit his mandatis Liemarum Bremensis Archiepiscopus omnium Germaniæ Episcoporum nomine, synodum à Legatis celebrari prohibens, tanquam rem inuitatam & longè à suis rationibus alienam. Itaque re infecta Legati reversi sunt; castigatùque propterea est graviter Liemarum à Gregorio, licet irritò conatu. Ista porro contigerunt quo tempore dissociata erat concordia sacerdotij & imperij.

IV. Eandem veterem consuetudinem, quam obtendebat Gregorius, obtendit & Paschalis II. ad Henricum Regem Anglorum scribens his verbis: *Universum siquidem terrarum orbem Dominus & Magister noster suis discipulis dispersit; sed Europæ fines Petro singulariter commisit & Paulo; nec per eorum tantum, sed per successorum discipulos ac Legatos, Europæ universitas conversa est & confirmata. Unde usque ad nos, licet indignos, eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit, ut per nostre sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractarentur seu retractarentur.* Item Callistus secundus, cum anno MCXX. Legatum in Galliam mitteret P. Presbyterum Cardinalem. Nam de legatione ejus scribens ad Ludovicum Regem Francorum, ita loquitur: *Nos enim à latere nostro eum secundum antiquam apostolicæ sedis consuetudinem ad terram potestatis tuæ pro corrigendo & confirmando quæ corrigenda & confirmanda fuerint delegamus.*

V. Innumera sunt exempla hujusmodi, si quis ea congerere velit. Verùm cum referre omnia necesse non sit, sufficiet unicus Innocentij III. locus, qui quod decessores ejus simplici sermone dixerunt, magnificis verbis elocutus est ad Imperatorem Con-

S

Uel. Thom. 2. 2. 2. 2.

71. 1. Dial. Sec. 141.

Uel. Thom. 2. 2. 2. 2.

Uel. Thom. 2. 2. 2. 2.

Vide Baron. ad an. 1074. J. 2.

Gregor. VII. lib. 2. epist. 13.

Apud Eadmer. pag. 111.

To. 3. Spillegz pag. 146.

Innoc. III. lib. 16.
ep. 2104 & seq.

stantinopolitanum scribens de legatione concessa Pelagio Episcopo Albanensi. Primum igitur scribit Dominum Iesum Christum sedem apostolicam instituisse totius Christianitatis caput & magistrum, à qua panis intellectus & vitæ ad alias procedat Ecclesias. Pontificem Romanum portare onera gravia cum plenitudine potestatis. Verum quia ipse cuncta per se facere non potest, multos sibi operarios & coadjutores adungere, ac per eos exequi quod per se non potest personaliter adimplere, sic vices suas aliis committendo ut intelligatur ipsemet facere quod per alios fieri decernit. Cum autem necessitas Ecclesiæ CP. postulet illum mitti Legatum à latere, destinasse se in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem; cui nos vices nostras commisimus, inquit, ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, edificet & plantet, quæ secundum Deum evellenda & destruenda necnon edificanda cognoverit & plantanda.

VI. Ex eo factum est ut in immensum posterioribus seculis excreverit Legatorum dignitas & auctoritas, ita ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur, sive de judiciis ageretur, sive de confirmationibus privilegiorum, tum etiam si qui lites concordia inita finivissent, pactiones suas auctoritate Legatorum firmari postulabant. Ea cum sint notissima, inutile esset ea persequi, & satis est observasse. Quare non sine causa adnotavit Paschalis II. ad Henricum Regem Anglorum scribens, hanc esse consuetudinem ut per sedis apostolicæ Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractentur. Vnde usque ad nos, inquit, licet indignos, eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit, ut per nostræ sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractentur seu retractentur. Legati verò, tamenetsi omnia pro suo arbitrio gererent, ut plurimum cuncta peragebant in Conciliis, ut quæ ipsi statuebant, etiam Episcoporum auctoritate tenerent. Sed ultimis temporibus, postquam solidata fuit suprema illorum potestas, insuperhabuerunt nomen Episcoporum, satis dignitati illorum prospectum putantes si coram illis decreta conderentur. Denique Gerardus Episcopus Sabinensis & apostolicæ sedis in Sicilia Legatus, cum generale Concilium celebrasset apud Melphiam anno millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, in eoque nonnullas constitutiones edidisset, eas suo tantum nomine publicavit, nulla facta mentione Concilij approbantis: *Universis Archiepiscopis & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prelatis per regnum Sicilia constitutis tenore presentium districtè præci-*

piendo mandamus ut constitutiones quas in generali vocatione Prælatorum regni apud Melphiam in presenti edidimus observent & à subditis suis faciant inviolabiliter observari.

VII. Tanta enim fuit olim Legatorum apostolicæ sedis auctoritas, ut non solum, quod jam vidimus, cuncta Ecclesiarum per provincias negotia per eos agerentur, sed non liceret præterea judicia eorum retractari, omninoque ea servanda essent quæ ab illis decreta fuerant in Conciliis provincialibus. Alexandri secundi pontificatu, cum Sclavi maximè cuperent fieri sibi potestatem divina celebrandi in lingua Sclavonica, quod prohibitum in synodo fuerat à Maynardo sedis apostolicæ Legato, idem Alexander negavit, jubens interim ut decreta Maynardi servarentur. Rem ita gestam narrat Thomas Archidiaconus Spalatensis cap. xv. historia Spalatensis, qui hæc Alexandri verba ad legatos Sclavorum dicta refert: *Nunc verò euntes, gentem illam facite observare omnia quæ à venerabili fratre nostro Maynardo sanctæ Rufinæ Episcopo Cardinali synodallyter statuta sunt.* Sic Gregorius VII. Papa, quantumvis iustæ viderentur quorundam Aquitanorum Episcoporum querelæ adversus Geraldum Episcopum Ostiensem & sedis apostolicæ Legatum, noluit rationem habere eorum quæ ab illis postulabantur, ne auctoritatem Legati in dubium revocare videretur, seu ne temeraret ea quæ ab illo gesta fuerant; *respectu conservande auctoritatis tuæ,* inquit, *& honori tuo providentes.*

VIII. Fuit illud unum ex arcanis retinendæ dominationis, ea approbare quæ à Legatis acta erant in provinciis, ne dignitas eorum in contemptum veniret. Quam ob causam potestate maxima & amplissima ornabantur, & eaque auctoritas, ut Mariana scribit, major erat quàm ut ei obstiti à quocumque posset. Insignis est in eam rem locus ex veteri charta Aquensis Ecclesiæ in Novempopulania, quam illustrissimus Archiepiscopus edidit in Historia Beneventensi. Descripta enim successione quorundam Episcoporum illius Ecclesiæ, demum additur: *Tempore Bernardi præfuit Olorensi Ecclesiæ Episcopus nomine Amatus, vir è contrario magna astutia & calliditatis, & totius Vasconicæ Legatus; qui quoniam totius Vasconicæ & aliarum provinciarum Legatus erat, facile quemlibet suæ legationis Episcopum *supprimere poterat.*

IX. Quanta tum esset Legatorum auctoritas docet vel unicus Ivo Carnotensis Episcopus: qui tamenetsi liberè perstringat tyrannidem Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis & apostolicæ sedis Legati, fatetur tamen tantam esse illius potestatem ut ad red-

Apud Eadmer.
lib. 1. hist. Novor.
pag. 111.